



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

De rebus corporeis & corruptioni obnoxiiis. c. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Præterea si sermo sit de mensura beatitudinis, & gratiæ, prout mensura definitur ab Aristotele, quo sensu non loquuntur Scholastici allegati in hoc capite, eodem prorsus modo atque eadem ratione dicendum est, sicut de alijs Angelorum operationibus, videlicet earum mensuram non esse durationem ipsam intrinsecam, nec ullam aliam præter nostrum tempus, nec ab alio intellectu hæc duo mensura definiti quam à nostro, ut ex prædictis satis liquet.

CAPVT III.

De rebus corporeis, & corruptioni obnoxijis.

8 *Durandus.* **P**ostremo de substantijs, quæ corrumpuntur, longam disputationem suscepit Durandus in 2. d. 2. q. 6. quam nos breui expediemus. Primum de ijs rebus quidam putarunt, ut refert Durandus ibidem, mensuram earum esse tempus discretum, sicut Thomista dixerunt, esse etiam operationum Angelorum. Eam latissime refellit Durandus: vix autem explicari potest hoc tempus discretum. Deinde Durandus, & S. Thomas art. 4. huius quæst. ad 3. docent, mensuram earum esse nostrum tempus: nisi quod Durandus addidit (id quod etiam de Angelis dixerat) tempus esse heterogeneam mensuram harum rerum, atque eadem ratione id probat.

De his substantijs corruptibilibus non mensurantur, sed tempore. Caterum ex superiori doctrina iam patet quæstionis solutio. Primum namque, si quæstio sit de ipsarum rerum intrinseca duratione, certum est, esse totam simul, & indiuiduam principio quoque, & sine terminari, quæ mea sententia non est tempus, cum non sit numerus motus, nec in successione posita: sed non incongrue ænum dici potest: nam & inter alias cuius significationes una est, quæ accipitur pro cuiusque hominis vita, ut ex Damasceno, & alijs, disp. 33. c. 1. notauimus atque hoc, aut alio nomine nuncupare, res sane leuioris momenti est.

Aristot. Deinde, si sit quæstio de mensura harum substantiarum, dicendum est, eam esse tempus nostrum, ut S. Thomas & Durandus dixerunt. Id quod expresse tradit Aristoteles 4. physice c. 14. text. 133. ubi inquit in hunc modum: Res enim humanas, & ceterarum earum, quæ naturalem motum, & ortum, ac obitum subeunt, circulum esse dicunt. Idque propterea, quod hæc vniuersa tempore diiudicantur, finemque subeunt, ac principium, perinde atque si reditione quadam hoc fiat, etenim tempus ipsum, circulus quidam esse videtur. Tempus autem aliter metitur harum rerum durationem, quam Angelorum. Horum enim durationem metitur non omnino, sed quasi ex parte, ut præcedenti disp. notauimus: res autem, quæ corrumpuntur, simpliciter, & omnino metitur quod principio, & sine concludantur. Quomodo autem harum rerum mensura sit tempus, eaque congenera, contra sententiam Durandi, ex dictis etiam in ea disp. satis manifestum est, & hæcenus de hac tota 10. quæstione Doctoris sancti.

QVÆSTIO XI.

de vnitatis dei.

Post præmissa considerandum est de diuina vnitatis. Et circa hoc quærentur quatuor.

ARTICVLVS I.

Vtrum vnum addat aliquid supra ens.

51 *9. 30. a. 3. Et 1. d. 24. 3. c. 6. 3. metaph. li. 12. c. 13. fin.* **A**D primum sic proceditur. Videtur quod vnum addat aliquid supra ens.

Omne enim quod est in aliquo genere determinato, se habet ex additione ad ens, quod circuit omnia genera. Sed vnum est in genere determinato: est enim principium numeri, qui est species quantitatis, ergo vnum addit aliquid supra ens.

2. Præterea. Quod diuidit aliquid commune, se habet ex additione ad illud. Sed ens diuiditur per vnum, & multa. Ergo vnum addit aliquid supra ens.

3. Præterea. Si vnum non addit supra ens, idem esset dicere vnum & ens. Sed nugatorie dicitur ens ens. Ergo nugatio esset dicere ens vnum: Quod falsum est. Addit igitur vnum supra ens.

Sed contra est, quod dicit Dionys. vlt. ca. de diu. nomin. Nihil est existentium non participans vno. Quod non esset, si vnum adderet supra ens, quod contraheret ipsum, ergo vnum non habet se ex additione ad ens.

Respondeo dicendum, quod vnum non addit supra ens rem aliquam, sed tantum negationem diuisionis. Vnum enim nihil aliud significat quam ens indiuisum. Et ex hoc ipso apparet quod vnum conuertitur cum ente. Nam omne ens aut est simplex, aut compositum. Quod autem est simplex est indiuisum & actu, & potentia. Quod autem est compositum non habet esse quamdiu partes eius sunt diuise, sed postquam constituunt & componunt ipsum compositum. Vnde manifestum est, quod esse cuiuslibet rei consistit in indiuisione. Et inde est, quo vnum quodque sicut custodit suum esse, ita custodit suam vnitatem.

Ad primum igitur dicendum, quod quidam putantes idem esse vnum quod conuertitur cum ente, & quod est principium numeri, diuisi sunt in contrarias positiones. Pythagoras enim & Plato videntes quod vnum quod conuertitur cum ente, non addit aliquam rem supra ens, sed significat substantiam entis prout est indiuisa, existimauerunt sic se habere de vno quod est principium numeri. Et quia numerus componitur ex vnitatibus, crediderunt quod numeri essent substantiæ omnium rerum. E contrario autem Auiacen. considerans quod vnum quod est principium numeri addit aliquam rem supra substantiam entis (alias numerus ex vnitatibus compositus non esset species quantitatis) credit, quod vnum quod conuertitur cum ente, addat rem aliquam super substantiam entis sicut album, supra hominem. Sed hoc manifeste falsum est: quia quælibet res est vna per suam substantiam. Si enim per aliquid aliud esset vna quælibet res, cum illud iterum sit vnum,

Cap. 6. non multum precul à prin.

num, si esset iterum vnum per aliquid aliud, esset abire in infinitum. Vnde standum est in primo. Sicigitur dicendum est, quod vnum quod conuertitur cum ente, non addit aliquam rem supra ens, sed vnum quod est principium numeri addit aliquid supra ens ad genus quantitatis pertinens.

Ad secundum dicendum, quod nihil prohibet, quod est vno modo diuisum, esse alio modo indiuisum: sicut quod est diuisum numero, est indiuisum secundum speciem: & sic contingit aliquid esse vno modo vnum, alio modo multa. Sed tamen si sit indiuisum simpliciter, vel quia est indiuisum secundum id, quod pertinet ad essentiam rei, licet sit diuisum quantum ad ea, quæ sunt extra essentiam rei: sicut quod est vnum subiecto & multa secundum accidentia: vel quia est indiuisum in actu, & diuisum in potentia: sicut quod est vnum toto & multa secundum partes, huiusmodi erit vnum simpliciter, & multa secundum quid. Si vero aliquid è conuerso sit indiuisum secundum quid, & diuisum simpliciter, vt pote quia est diuisum secundum essentiam, & indiuisum secundum rationem, vel secundum principium suæ causæ: erit multa simpliciter, & vnum secundum quid: vt quæ sunt multa numero, & vnum specie, vel vnum principio. Sicigitur ens diuiditur per vnum & multa, quasi per vnum simpliciter, & multa secundum quid. Nam & ipsa multitudo non contineretur sub ente, nisi contineretur aliquo modo sub vno. Dicit enim Dionysius, vlt. cap. de diu. nomin. quod non est multitudo non participans vno: sed quæ sunt multa partibus, sunt vnum toto: & quæ sunt multa accidentibus, sunt vnum subiecto, & quæ sunt multa numero, sunt vnum specie: & quæ sunt speciebus multa, sunt vnum genere, & quæ sunt multa processibus, sunt vnum principio.

Ad tertium dicendum, quod ideo non est nugatio cum dicitur ens vnum; quia vnum addit aliquid secundum rationem supra ens.

uerbia in eo sita est, an formaliter sit aliquid positum, vel sola negatio diuisionis, & ad demonstrandum Deum esse vnum, & non plures, quod in hac quæstione præcipuum est, Theologoque maxime necessarium, parum interest hoc, aut alio modo de ratione formali vnitatis philosophari: tum etiam quia de hac re necessario iterum redibit sermo q. 128. ibique nonnihil de ea dicemus, ideo hac disputat. in præsentī super sedere decreui.

ARTICVLVS I.

Vnum vnum, & multa opponantur.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod vnum & multa non opponantur. Nullum enim oppositum prædicatur de suo opposito: sed omnis multitudo est quodammodo vnum, vt ex prædictis patet ergo vnum non opponitur multitudini.

2. Præterea. Nullum oppositum constituitur ex suo opposito: sed vnum constituit multitudinem. Ergo non opponitur multitudini.

3. Præterea. Vnum vni est oppositum. Sed multo opponitur paucum. Ergo non opponitur ei vnum.

4. Præterea. Si vnum opponitur multitudini, opponitur ei sicut indiuisum diuiso: & sic opponetur ei vt priuatio habitui.

Hoc autem videtur inconueniens, quia sequeretur, quod vnum sit posterius multitudine, & definiatur per eam, cum tamen multitudo definiatur per vnum. Vnde erit circulus in definitione: quod est inconueniens. Non ergo vnum & multa sunt opposita.

Sed contra: quorum rationes sunt oppositæ, ipsa sunt opposita. Sed ratio vnius consistit in indiuisibilitate; ratio vero multitudinis diuisionem continet. Ergo vnum & multa sunt opposita.

Respondeo dicendum, quod vnum opponitur multis, sed diuersimode. Nam vnum quod est principium numeri opponitur multitudini, quæ est numerus, vt mensura mensurato.

Vnum enim habet rationem primæ mensuræ, & numerus est multitudo mensurata per vnum: vt patet ex 10. Metaph. Vnum vero quod conuertitur cum ente, opponitur multitudini per modum priuationis, vt indiuisum diuiso.

Ad primum ergo dicendum, quod nulla priuatio tollit totaliter esse, quia priuatio est negatio in subiecto secundum Philosophum. Sed tamen omnis priuatio tollit aliquod esse. Et ideo in ente ratione suæ communitatis accedit quod priuatio entis fundatur in ente: quod non accedit in priuationibus formarum specialium.

52
1. d. 24. q. 1.
a. 34. & 108
mel. d. 4.

Art. præcedens.

Alia præ-
iuncta.

70 **C**onclusio est, *Vnum supra ens solam addit negationem diuisionis.* Quanquam materia huius articuli ad metaphysicum spectat, qui de ipso vno & formali ratione vnitatis plenius disputare debet: posset tamen alicui videri, non fore alienum à nostro instituto, si eam ex professo examinarem; vt ea, quæ de vnitatis Dei, in 3. dicenda sunt, magis perspicua redderentur: quia de causâ de ratione bonitatis, q. 6. fusius tractauimus, vt attributum bonitatis Dei explicarem; & de veritate q. 16. est nobis differendum; vt ostendamus quia ratione Deus verus sit.

Ceterum quia tota de ratione vnitatis contro-

10. Metaph.
text. 2. 10. 3.
In postpra-
dicamentis
cap. de oppo-
sitis, & 4.
Metaphys.
text. 4. 10. 13
& 3.

ut visus, vel albedinis, vel alicuius huiusmodi. Et sicut est de ente, ita est de vno & bono, quæ conuertuntur cum ente. Nam priuatio boni fundatur in aliquo bono: & similiter remotio vnitatis fundatur in aliquo vno. Et exinde contingit quod multitudo est quoddam vnum: & malum est quoddam bonum: & non ens est quoddam ens. Non tamen oppositum prædicatur de opposito: quia alterum horum est simpliciter, & alterum secundum quid. Quod enim secundum quid est ens (ut in potentia) est non ens simpliciter, id est actu: vel quod est ens simpliciter in genere substantiæ, est non ens secundum quid quantum ad aliquod esse accidentale. Similiter ergo quod est bonum secundum quid est malum simpliciter vel è conuerso: & similiter quod est vnum simpliciter, est multa secundum quid: & è conuerso.

Ad secundum dicendum, quod duplex est totum. Quodam homogeneum, quod componitur ex similibus partibus: quoddam vero heterogeneum, quod componitur ex dissimilibus partibus. In quolibet autem toto homogeneo totum constituitur ex partibus habentibus formam totius, sicut quælibet pars aquæ est aqua: & talis est constitutio continui ex suis partibus. In quolibet autem toto heterogeneo quælibet pars caret forma totius. Nulla enim pars domus est domus, nec aliqua pars hominis est homo. Et tale totum est multitudo.

In quantum ergo pars eius non habet formam multitudinis, componitur multitudo ex vnitatibus, sicut domus ex non domibus: non quod vnitates constituent multitudinem secundum id quod habent de ratione indiuisibilis, prout opponuntur multitudini, sed secundum hoc quod habent de entitate: sicut & partes domus constituunt domum per hoc, quod sunt quædam corpora, non per hoc quod sunt non domus.

Ad tertium dicendum, quod multum accipitur dupliciter. Vno modo absolute, & sic opponitur vni. Alio modo secundum quod importat excessum quandam, & sic opponitur paucis: unde primo modo duo sunt multa non autem secundo.

Ad quartum dicendum, quod vnum opponitur priuatiue multis, in quantum in ratione multorum est, quod sint diuisa. Unde oportet quod diuisio sit prius vnitati non simpliciter, sed secundum rationem nostræ apprehensionis. Apprehendimus enim simplicia per composita. Unde definimus punctum, cuius pars non est vel principium lineæ. Sed multitudo et-

iam secundum rationem consequenter se habet ad vnum: quia diuisa non intelligimus habere rationem multitudinis nisi per hoc quod vtrique diuisorum attribuiamus vnitatem. Unde vnum ponitur in definitione multitudinis, non autem multitudo in definitione vnus. Sed diuisio cadit in intellectu ex ipsa negatione entis, ita quod primo cadit in intellectu ens. Secundo quod hoc ens non est illud ens, & sic secundo apprehendimus diuisionem. Tertio vnum. Quarto multitudinem.

Conclusio est: Vnum, quod conuertitur cum ente, opponitur multis, sicut negatio, aut priuatio, formæ contrariæ: hoc est, sicut indiuisum diuiso. De qua nihil in hoc articulo dicemus, tota enim eius explicatio ex doctrina superioris articuli pendet, de vtraque autem articulo tertio differendum est.

ARTICVLVS III.

Vtrum Deus sit vnus.

AD tertium sic proceditur. Videtur: quod Deus non sit vnus. Dicitur n. r. ad Corint. 8. *si quidem sunt* d. 2. a. 1. Et 2. d. 2. a. 1. q. 1. art. 1. Et 1. cont. 1. c. 42. Et 7. q. 3. art. 6. q. opus 3. c. 15. c. 12. Metaphys. 12.

Dij multi, & Domini multi.
2. Præterea. Vnum quod est principium numeri, non potest prædicari de Deo cum nulla quantitas de Deo prædicetur. Similiter, nec vnum quod conuertitur cum ente: quia importat priuationem, & omnis priuatio imperfectio est, quæ Deo non competit. Non est igitur dicendum, quod Deus sit vnus.

Sed contra est quod dicitur Deut. 6. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus vnus est.*

Respondeo dicendum, quod Deum esse vnū ex tribus demonstratur. Primo quidem ex eius simplicitate. Manifestum est enim quod illud, unde aliquid singulare est hoc aliquid, nullo modo est multis communicabile. Illud enim unde Sortes est homo, multis communicari potest: sed id, unde est hic homo, non potest communicari, nisi vni tantum. Si ergo Sortes per id esset homo, per quod est hic homo, sicut non possunt esse plures Sortes, ita non possent esse plures homines. Hoc autem conuenit Deo: nam ipse Deus est sua natura, ut supra ostensum est. Secundum igitur idem, est Deus & hic Deus. Impossibile est igitur esse plures Deos. Secundo vero ex infinitate eius perfectionis. Ostensum est enim, supra quod Deus comprehendit in se totam perfectionem essendi. Si ergo essent plures Dij, oporteret eos differre. Aliquid ergo conueniret vni quod non alteri. Si autem hoc esset perfectio, alteri eorum deesset, & sic ille, in quo esset priuatio, non esset simpliciter perfectus. Impossibile est ergo esse plures Deos.

Unde

Vnde & antiqui Philosophi quasi ab ipsa coacti veritate ponentes principium infinitum, posuerunt vnum tantum principium. Tercio ab vnitatem mundi. Omnia enim quæ sunt, inveniuntur esse ordinata ad inuicem, dum quædam quibusdam de feruiunt. Quæ autem diuersa sunt in vno ordinem non conuenirent, nisi ab aliquo vno ordinarentur. Melius in vnum multa reducuntur in vnum ordinem per vnum, quam per multos: quia per se vnus vnum est causa, & multa non sunt causa vnus, nisi per accidens: inquantum scilicet sunt aliquo modo vnum. Cum igitur illud, quod est primum, sit perfectissimum & per se, non per accidens, oportet quod primum reducens omnia in vnum ordinem sit vnum tantum. Et hoc est Deus.

Ad primum ergo dicendum, quod dicuntur Diij multi secundum errorem quorundam, qui multos Deos colebant: existimantes Planetas & alias stellas esse Deos, vel etiam singulas partes mundi. Vnde subdit: *Nobis autem vnus Deus, &c.*

Ad secundum dicendum, quod vnum secundum quod est principium numeri, non prædicatur de Deo, sed solum de his, quæ habent esse in materia. Vnum enim, quod est principium numeri, est de genere mathematicorum: quæ habent esse in materia, sed sunt secundum rationem à materia abstracta: vnum vero, quod conuertitur cum ente, est quoddam metaphysicum, quod secundum esse non dependet à materia. Et licet in Deo non sit aliqua priuatio, tamen secundum modum apprehensionis nostre non cognoscitur à nobis nisi per modum priuationis & remotionis. Et sic nihil prohibet, aliqua priuatiue dicta de Deo prædicari, sicut quod est incorporeus, infinitus, & similiter de Deo dicitur quod sit vnus.

Confirmatio doctrinæ articuli.

Conclusio est affirmans, eaque tanquam necessarium principium Theologo supponenda, expressa est in scriptura Deuter. 6. & vt optime notauit Damasc. 1. de fide c. 5. apud eos, qui sacræ Scripturæ credunt, extra controuersiam omnino est. Cæterum præter gentiles, qui nullam Scripturæ sacræ fidem adhibent, multi fuerunt hæretici, qui plures Deos asserere ausi sunt. Primum quidem Manichæus, qui licet non concesserit plures Deos bonos, duo tamen prima principia rerum posuit, alterum bonum, alterum malum; id quod prius docuerat Cerdon, de quibus fusi dicemus disp. 172. c. 1. Deinde Peratæ teste Theodoro lib. 1. hereticarum fabularum c. 18. & Philoponus, vt scribunt Suidas, verbo Ioannes Grammaticus, & Nicephorus lib. 18. historia c. 48. diuinam naturam in tres personas diuidebant, ac proinde Tritheitæ iure sunt appellati. Eundem errorem adscribunt alij Ioachimo Abbati, de quo infra q. 39. art. 6. dicemus. Imme-

rito tamen illum tribuit Raimundo Lullio Bernardus Lucemburgensis in suo Catalogo hæresum, quasi docuerit tres personas, esse tres essentias, cum nihil tale in eius operibus inueniatur. Solum enim dixit. *Essentia in deo essentiat*, non quia aliam producat essentiam, vt falso nonnulli interpretantur, sed quia tribuit esse tanquam actum proprium essentiæ; aut, vt ostendat correlata intrinseca, quæ ipse passim adstruere molitur, de quibus disp. 134. aliquantulum differendum est.

Demum hisce calamitosi temporibus, quibus hæreses adeo vigent, vt iam diu sepultæ & damnatæ, denuo per Poloniam, Transiluaniam, Germaniam, Galliam, & Angliam excitentur, Valentinus Gentilis Cosentinus discipulus Caluini eandem hæresim sectatus est. Sed cum videret, hanc Deorum Trinitatem ex Scriptura non posse defendi, ad Arrianismum postea declinauit. Hæc hæresis eodem modo impugnanda est, atque gentilium error, qui plurium Deorum familiam esse dicebant. Contra quos omisiss innumeris Scripturæ, & Patrum testimonijs, longam possemus in præfenti ordiri disputationem, atque ex antiquis Philosophis ipsorumque gentilium Sybillis, Dei unitatem comprobare, nisi hoc accuratissime Augustinus Eugubinus lib. 3. de perenni Philosophia in principio illius præstitisset. Quam disputationem suscep- rant Lactantius lib. 1. diuin. institut. a. c. 4. Tertull. in libro Apologetico aduersus Gentes, & S. Thomas 1. contra gent. c. 42. Nobis igitur sufficiat tam contra Manichæum, quam contra gentiles, duos, aut plures non esse Deos vnica solum ratione demonstrare, quam tegerunt Tertullia. 1. lib. aduersus Marcionem c. 3. & 4. ne demon- Athanasius in orat. contra idola, & Damasc. loco allegato. Stratur. Supponendum autem est id, quod disp. 20. probatum manet, videlicet nomine Dei apud omnes nationes illud significari, quod nullum habet superiorem, & ab alio non est: quod enim ab alio penderet, sine dubio illud tanquam Deum debet agnoscere. Etenim nulla natio tam barbara fuit, quæ Deum verum alterius veri Dei esse diceret: nam licet consuetum fuerit apud gentiles, insignes viros, vt Imperatores, diuos nuncupare, quod in societatem Deorum referrentur, nunquam tamen Diij appellati sunt. Hac vero ratione apud Christianos sancti viri non immerito Diui vocantur, quod in Dei societatem admissi sunt: quamuis aliqui nimium religiosi hanc appellationem tanquam Ethnicorum propriam, & sacrilegam execrantur. Et go in hac controuersia de vnitatem Dei Deum verum intelligimus cum esse, qui à seipso non ab alio penderet, hoc autem sensu vnum tantum verum Deum esse, hac ratione demonstro. Si duo essent Diij, opus esset, vnum ab altero non pendere, vt suppositum est; atque adeo altero nolente, alterum posse esse, & existere. Quare (vt inquit Athanasius) *AEqua in ambobus esset potestas & imbecillitas, per quidem potestas, quod alter alterius voluntatem vinceret, eo ipso, quod altero invito esse posset: per item imbecillitas, quod nolentibus ipsis ea, quæ nolent, euenirent: si quidem vnus præter alterius voluntatem existeret. id quod tanquam absurdum infert Athanasius, vt contra Manichæum probet, non esse duos Deos, alterum nulum, alterum bonum. Ac enim vnus alteri contrarius esset, & ipsum vellet destruere, recte igitur Tertull. lib. illo 1. c. 3. veritatem Catholicam sic pronuntiat, Deus, si non vnus est, non est.*

Cæterum, quoniam gentilis aliquis posset asse-

Raimund.
Bern.
Lucemburg.

Valentin.

13
Eugubinus.

Lactantius.
Tertullian.
S. Thomas.

Deum esse
vnum ratio
ne demon-
stratur.
Tertullian.

14

Athanas.

recte

*Præ ratio-
nem.*

15

rere, duos quidem esse Deos, eosque bonos, quæ
necessario se mutuo diligant, ac proinde nullam
in ipsis esse imbecillitatem, sed æquale potentiam:
utgeamus magis rationem, & probemus nulla ra-
tione duos esse posse in hunc modum. Si duo es-
sent, non solum ipsi à seipsis, verum etiam cætera
omnia ab eis esse deberent, hoc enim est de ratio-
ne Dei, & primi principij: aut ergo ab vno solo sine
altero possent cætera res conservari; & fieri, quod
ille esset potentior & perfectior, & ita ille solum
esset Deus: tum quia Deus idem est, quod omnium
perfectissimus, ad cuius perfectionem nihil desi-
deratur: tum etiam quoniam alius vel esset ab illo,
vel à seipso: si esset ab illo, non posset esse Deus,
sed creatura illius: si à seipso, sicut alter, eiusdem
prorsus esset naturæ, & æquè perfectus: quocirca
qua ratione res cætera ab vno, eodem quoque
modo ab altero penderent: aut denique æqualis
omnino essent perfectionis: & ita alter omnino
superfluous esset: quare temere etiam & sine ratio-
ne duo esse dicerentur: non solum autem alter es-
set superfluous, quod sine illo reliqua omnia æque
bene fieri possent, sed quia simul cum altero nul-
lum prorsus haberet effectum. Cum n. totus effe-
ctus ab vna causa omnino sit; in eodem genere, &
æque primo, ab alia fieri non potest, vel adiuuari,
ut latius ostendimus 3. p. q. 3. art. 6. Dicere autem
quamlibet rem creatam ab vnoquoque illorum
duorum cum altero simul produci, tamquam à
causa partiali, sicut onus aliquod à duobus deferri
solet, ridiculum est. Non n. possumus res spiritua-
les, imo nec corporales secundum substantiam
suam ita parti, ut partem vnam vni Deo, alteram
alteri tribuamus: vel ipsorum Deorum vires ita
metiri, ut ad producendum tantum effectum
vnum dicamus sufficere; ad tantum vero duos aut
plures esse necessarios. Porro asserere eos inter se
conuulsisse, ut quædam ab vno, quædam ab alio
voluntate libera producerentur, est omnino com-
mentitium & sine fundamento; neutrum igitur
est asserendum.

Denique qua ratione aliquis duos Deos æqua-
lis perfectionis, & naturæ esse diceret, infinitos
quoque deberet concedere. Nam quæ maior ra-
tio, quare duo, aut tres, quam plures esse debeant
cum necessario sint, & à nullo pendeant, ac proin-
de numerus illorum si semel unitatem excedat, à
nullo possit determinari, ut luculenter Tertull. pro-
bat lib. 1. contra Marcion. c. 4. & seq.

ARTICVLVS IV.

Vtrum deus sit maxime vnus.

54
218. art. 3.
c. 39. a. 3. c.
Et causu 5.
21.

AD quartum sic proceditur. Videtur
quod Deus non sit maxime vnus,
vnum enim dicitur secundum priuatio-
nem diuisionis: Sed priuatio non recipit
magis & minus. Ergo Deus non dicitur
magis vnus, quam alia, quæ sunt vnum.

2. Præterea. Nihil videtur esse magis
indiuisibile, quam id, quod est indiuisibile
actu & potentia, cuiusmodi est punctum
& vnitas. Sed in tantum dicitur aliquid
magis vnum, in quantum est indiuisibile.
Ergo Deus non est magis vnum, quam
vnitas & punctum.

3. Præterea. Quod est per essentiam bo-

ARTIC. IV.

nūm, est maxime bonum. Ergo quod est
per essentiam suam vnum, est maxime
vnum. Sed omne ens est vnum per suam
essentiam, ut patet per Philosophum in 4.
Metaphy. Ergo omne ens est maxime
vnum: Deus igitur non est magis vnum
quam alia entia.

Sed contra est, quod dicit Boet. quod
inter omnia, quæ vnum dicuntur, arcera
tener vnitas diuinæ Trinitatis.

Respondeo dicendum, quod cum vnū
sit ens indiuisum, ad hoc quod aliquid sit
maxime vnum, oportet quod sit & maxi-
me ens, & maxime indiuisum. Vtrumque
autem competit Deo. Est enim maxime
ens, in quantum est non habens aliquod
esse determinatum per aliquam naturam,
cui adueniat, sed est ipsum esse subsistens
omnibus modis indeterminatum. Est au-
tem maxime indiuisum, in quantum nec-
que diuiditur actu, neque potentia secun-
dum quemcumque modum diuisionis,
cum sit omnibus modis simplex, ut supra
ostensum est. Vnde manifestum est, quod
Deus est maxime vnus.

Ad primum ergo dicendum, quod licet
priuatio secundum se non recipiat magis
& minus, tamen secundum quod eius op-
positum recipit magis, & minus etiam
ipsa priuatiua dicuntur secundum magis
& minus. Secundum igitur, quod aliquid
est magis diuisum vel diuisibile, vel mi-
nus, vel nullo modo, secundum hoc ali-
quid dicitur magis & minus, vel maxime
vnum.

Ad secundum dicendum, quod pun-
ctum & vnitas, quæ est principium nume-
ri, non sunt maxime entia, cum non ha-
beant esse nisi in subiecto aliquo. Vnde
neutrum eorum est maxime vnum. Sicut
enim subiectum non est maxime vnum
propter diuersitatem accidentis & subie-
cti, ita nec accidens.

Ad tertium dicendum, quod licet om-
ne ens sit vnum per suam substantiam, non
tamen se habet æqualiter substantia cu-
iuslibet ad causandam vnitatem: quia sub-
stantia quorundam est ex multis compo-
sita, quorundam vero non.

Explicatio doctrinæ articuli.

Conclusio est affirmans. Ea vero non indiget
longa disputatione, sed facili negotio expli-
cari potest. Obseruandum igitur est, siue vnitas
formaliter sit negatio diuisionis, hoc est, indiu-
sio; siue sit quid posituum, ita recipiari cum in-
diuisione, & opponi multitudini, ut vbicumque
fuerit maior indiuisio, minorque pluralitas seu
multitudo, sit maior vnitas: & quia vbi est maior
simplicitas, minus est pluralitatis, & magis indiu-
sionis, ideo maior est vnitas: cumque Dei simpli-
citas secundum rem sit maior, quam excogitari
possit,

4. metaph.
1. c. 3. 10. 3.

2. 3. art. 7.

Ratio con-
clusiua.

possit, quod in eo non solum essentia non diffin-
guatur ab esse ex natura rei, sed neque à supposito,
nec aliquod accidens ei adueniat, sed omnia idem
omnino cum ea sint, sit, ut eius unitas sit maior,
quam intelligi possit in creaturis. In eis namque
licet esse & essentia sint idem secundum rem, vt 3.
p. q. 17. a. 2. & in hac 1. p. q. 50. art. 5. dicemus, nihilo-
minus earum omnium unitas est composita secun-
dum rem, ex substantia, & accidentibus: ex natura
& supposito. Quantum vero deroget diuine sim-
plicitati opinio Scoti, qui affirmat, Dei attributa
inter se, & ab essentia ex natura rei ante intellectus
operationem distingui, notabimus disp. 16. In
hunc sensum forsitan antiqui Philosophi, vt Melis-
sus, & alij, quos refert *Eugubius lib. 3. de peregrini Phi-*
losophia c. 7. Deum appellabant 20 21, hoc est ipsam
unitatem, vel ipsum vnum: sicut etiam dici solet
20 21, hoc est ipsum esse, quod ei maxime præ-
cæteris hæc duo conueniant. Neque vero quidquam
obest personarum pluralitas in Deo, quo minus il-
lius unitas maxima sit. Nam in Deo non concedi-
mus unitatem in persona, sed in natura; hanc vero
diximus esse maximam, vt ex prædictis constat
personarum vero est vera pluralitas, vt in materia
de Trinitate patet. Hinc demum nullam inferri
distinctionem inter personam, & naturam, nec vl-
lam compositionem ex natura rei, disp. 120. etiam
perspicuum fiet.

QVÆSTIO XII.

Quomodo Deus à nobis cognoscatur.

Quia in superioribus considerauimus
qualiter Deus sit secundum sei-
psum, restat considerandum qualiter sit in
cognitione nostra, id est, quomodo co-
gnoscat à creaturis.

Inter varios modos, quibus Doctor angelicus
Dei substantiam, & perfectionem considerat,
vt initio questionis tertie notauimus: secundus
est, quatenus ad nostrum intellectum Deus refer-
tur; de quo agit ipse in hac quæst. 12. de visione
Dei, & sequenti 13. de nominibus eiusdem. Nam
& hæc à nobis Deo imponuntur, nobisque ipsum
significant iuxta modum cognitionis, quem de
ipso habemus. In hac igitur questione agit S. Tho.
de perfectione substantiæ Dei, quatenus à nobis
videri potest.

ARTICVLVS I.

V. aliquis intellectus creatus possit videre Deum
per essentiam.

AD primum sic proceditur. Videtur,
quod nullus intellectus creatus pos-
sit Deum per essentiam videre. Chryso-
stomus enim super Ioannem exponens il-
lud, quod dicitur Ioannis 1. *Deum nemo vi-*
dit vnquam: sic dicit, ipsum quod est Deus,
non solum prophetæ, sed nec Angeli vi-
derunt nec Archangeli. Quod etiam crea-
bilis est naturæ, qualiter videre poterit,
quod increabile est? Dionys. etiam 1. cap.
de diui. nominib. loquens de Deo dicit:
Neque sensus est eius, neque phantasia,
neque opinio, nec ratio, nec scientia.

Vasque 2 in 1. part. Tomus I.

2. Præterea. Omne infinitum in quan-
tum huiusmodi est ignotum: sed Deus est
infinitus, vt supra ostensum est, ergo est se-
cundum se ignotus.

3. Præterea. Intellectus creatus non est
cognoscitius nisi existentium. Primum
enim, quod cadit in apprehensione intel-
lectus, est ens. Sed Deus non est existens,
sed supra existentiam, vt dicit Dionys. er-
go non est intelligibilis, sed est supra om-
nem intellectum.

4. Præterea. Cognoscentis ad cogni-
tum oportet esse aliquam proportionem,
cum cognitum sit perfectio cognoscentis.
Sed nulla est proportio intellectus creati
ad Deum: quia in infinitum distant, ergo
intellectus creatus non potest videre es-
sentiam Dei.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 3. *Vi-*
debimus eum, sicuti est.

Respondeo dicendum, quod cum v-
numquodque sit cognoscibile secundum
quod est in actu, Deus qui est actus purus
absque omni permissione potentiae, quan-
tum in se est, maxime cognoscibilis est.
Sed quod est maxime cognoscibile in se,
alicui intellectui cognoscibile non est,
propter excessum intelligibilis supra intel-
lectum. Sicut Sol, qui est maxime visi-
bilis, videri non potest à vespertione
propter excessum luminis. Hoc igitur at-
tendentes quidam posuerunt, quod nul-
lus intellectus creatus essentiam Dei vi-
dere potest. Sed hoc inconuenienter di-
citur. Cum enim vltima hominis beatitu-
do in altissima eius operatione consistat,
quæ est operatio intellectus, nunquam
essentiam Dei videre potest intellectus
creatus, vel nunquam beatitudinem ob-
tinebit, vel in alio eius beatitudo consi-
stet, quam in Deo; quod est alienum à fi-
de. In ipso enim est vltima perfectio ratio-
nalis creaturæ: quod est ei principium ef-
fendi. In tantum enim vnumquodque
perfectum est, in quantum ad suum prin-
cipium attingit.

Similiter etiam est præter rationem,
inest enim homini naturale desiderium
cognoscendi causam, cum intueretur esse-
ctum: & ex hoc admiratio in hominibus
consurgit. Si igitur intellectus rationalis
creaturæ pertingere non possit ad primam
causam rerum, remanebit inane desi-
derium naturæ. Vnde simpliciter con-
cedendum est quod Beati Dei essentiam
videant.

Ad primum ergo dicendum, quod
vtraque auctoritas loquitur de visione
comprehensionis. Vnde præmittit Dio-
nysius immediate ante verba proposita
dicens

Cap. 1. de di-
ui. nom. alio
quantitatem
à princ.
Eadem ho-
mil. 14. pa-
ram. note
mediu 10. 3.

17

Scotus.

Melissus.

Eugub.

55

12. p. 16. a. 1.

c. 9. 93. a.

2. p. 3. c. 2.

c. 15. 54.

c. 17. c. 14.

11. p. 8. art. 1.

c. 1. 7. ar.

c. 1. 7. ar.

10. 10. 1. c.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

10. 1. c. 1.

dicens; Omnibus ipse est vniuersaliter incomprehensibilis, & nec sensus est: &c. Et Chrysost. parum post verba prædicta subdit, visionem hic dicit certissimam Patris considerationem, & comprehensionem tantam, quantam Pater habet de Filio.

Ad secundum dicendum, quod infinitum, quod se tenet ex parte materiæ non perfectæ per formam, ignotum est secundum se: quia omnis cognitio est per formam. Sed infinitum quod se tenet ex parte formæ non limitatur per materiam, est secundum se maxime notum. Sic autem Deus est infinitus, & non primo modo, ut ex superioribus patet.

q. 7. art. 1.

Ad tertium dicendum, quod Deus non sic dicitur non existens, quasi nullo modo sit existens, sed quia est supra omne existens, in quantum est suum esse. Unde ex hoc non sequitur, quod nullo modo possit cognosci, sed quod omnem cognitionem excedat: quod est ipsum comprehendere.

Ad quartum dicendum, quod proportio dicitur dupliciter. Vno modo certa habitudo vnius quantitatis ad alteram, secundum quod duplum, triplum & æquale sunt species proportionis. Alio modo quilibet habitudo vnius ad alterum proportio dicitur. Et sic potest esse proportio creaturæ ad Deum, in quantum se habet ad ipsum, ut effectus ad causam, & ut potentia ad actum. Et secundum hoc intellectus creatus proportionatus esse potest ad cognoscendum Deum.

Explicatio Articuli.

Conclusio est: *Fieri potest, ut intellectus creatus videat Deum clare sicut est.* Non dicit S. Thomas per suam virtutem naturalem, sed aliquo modo id fieri posse; modum autem, quo possit, & debeat videri, art. 4. & 5. exponit. Inde vero probat, posse Deum videri, quia in nobis est naturale desiderium videndi ipsum: visis enim effectis quisque naturaliter appetit videre causam: visis igitur creaturis desiderabit homo naturaliter videre Deum auctorem omnium: sed nullum naturale desiderium est frustra: ergo circa id quod possibile est versari debet: possibile igitur est Deum videre.

Conclusio
vnde.

Dubitatio circa textum Articuli.

Circa hanc æro rationem, omittam ea quaestione, quæ hic tractari solet, quale scilicet sit illud desiderium naturale videndi Deum, quod fusiùs examinabimus in 1. 2. q. 5. art. 8. Nunc solum videndum est, quo pacto ratio S. Thomæ conclusionem propositam probet. Huius autem gratia præmittendum est id, quod in eo art. 8. probatur, nempe ex sententia S. Thomæ, & iuxta veriorum doctrinam, non posse esse in creatura rationali naturalem appetitum per modum potentia: naturæ ad visionem claræ Dei, sed naturalem appe-

Non esse in
nobis innatū
appetitū
naturalem
ad Deum, sed
elicitū.

titum videndi Deum esse elicitum desiderium, quod sequitur non naturam, & esse, sed cognitionem; sicut ex textu huius articuli non obscure colligitur: hoc est, non ideo naturaliter nos appetere visionem, quia sumus illius capaces; hæc enim non potentia naturalis, nec naturalis appetitus per modum potentia: sed capacitas obediētiālis à Theologis appellari consuevit; sed quia videmus effectū, & creaturas Dei, & cognoscimus, Deum esse earum auctorem, naturaliter nos appetere, & desiderare ipsum videre: quod quidem desiderium appellant Theologi appetitum elicitum: prius autem illud desiderium vocant appetitum innatum. Porro elicitum illud desiderium appellat S. Doctor naturalem appetitum, non quia ex viribus naturæ habeatur, vel quia sit obiecti naturalis, sed quia necessarius aliquo modo est, nempe quoad specificationem. Nemo enim nisi errore aliquo deceptus, potest ipsam visionem Dei, quatenus ex se consideratur, odio habere: quare cum dicamur naturaliter appetere, quæ necessario appetimus, iuxta doctrinam eiusdem S. Thomæ 1. 2. q. 10. artic. 1. hic appetitus elicitus videndi Deum, qui est quodammodo necessarius, naturalis quoque dicitur.

19

Desiderium
elicitum boni
tutudinis,
naturale
quomodo dicitur.

Hinc tamen non videtur efficaciter probari id quod B. Thomas contendit, videlicet, posse Deum videri: quia multa impossibilia apprehensa, ut bona, homo potest appetere naturaliter, hoc est, quodammodo necessario; si in eis nulla appareat ratio mali, ob quam odio haberi possint: nam in impossibile ferri posse nostrum desiderium, ostendimus in inferis disput. 2. 2. cap. 2. ut si aliquis consideret subtilitatem spirituales Angelis, & se talem esse desideret, cum nullam in hoc apprehendat rationem mali, necessario quoad specificationem eam desiderabit: at hoc desiderium certe frustra est: cum enim versetur circa impossibile, nullo modo compleri potest: ergo ex desiderio naturali elicitum non recte infert S. Thomas. Deum posse videri, cum tamen ex desiderio, & appetitu per modum potentia: innato optime colligeret: nulla enim est naturalis potentia, quæ in actum reduci non possit.

20

Respondeo, tamen si circa obiectum, quod est impossibile, possit esse simplex affectus complacentie, & id quodammodo desiderari, tamen non potest illud desiderium esse necessarium quoad specificationem, quare nec naturale: nam si recte illud consideretur, ex se est malum desideranti, est enim non esse ipsius. Unde in ipsomet obiecto est aliquid mali ratione cuius possit odio haberi, veluti in exemplo posito, hominem esse Angelum, malum est re ipsa, quia est non esse ipsius; quamvis desiderari possit, quia per modum boni apprehenditur, ut loco citato exponemus. Visio autem Dei non est huiusmodi, nam ex se non potest nobis esse mala, nec ut talis apprehendi: quare nec ex se odio haberi, sicut nec quævis scientia.

Solutio.

Ratione cuius Aristoteles 1. meta. cap. 1. dixit, esse naturale desiderium (intelligit elicitum) sciendi. Solum autem propter extrinseca impedimenta potest aliquis illam odisse; sicut etiam scientiam aliquam, quia laboriosum sit, illam consequi: hoc tamen non obstat quo minus desiderium illius sit vere naturale, ut expositum est. Hæc autem ratio maiorem vim habet, si consideremus, appetitum naturalem beatitudinis, & videndi Deum esse in omnibus

Aristoteles.

21

Augustin. omnibus nam ut recte dixit August. lib. 4. contra Iulianum c. 3. longe à principio, Neque omnes homines naturali instinctu immortales, & beati esse vellemus, nisi esse possemus. Recte igitur S. Thomas, ex desiderio naturali videndi Deum, infert illud esse possibile, nam si impossibile esset, non posset naturaliter apperi, & desiderari.

Solet in hoc articulo disputari, utrum viatori possit communicari evidens noticia quiditativa Dei, quæ non sit intuitiva visio illius: id tamen fufius disputabimus inferius disp. 135.

DISPUT. XXXVII.

An visio Dei, sicuti est, intellectui creato possit à Deo communicari.

Error Armenorum, & Abailardi. c. 1.

Chrysostomum non satis sincere videri locutum de clara Dei visione, cap. 2.

Quomodo quidam Chrysostomum excusare contendunt, cap. 3.

Cum Chrysostomo, & predictis alijs etiam Latini, & Græci sensisse videntur, cap. 4.

Secundum fidem nostram Deum sicuti est, videri posse, cap. 5.

Soluntur argumenta pro sententia Armenorum, cap. 6.

CAPVT I.

Error Armenorum, & Abailardi.

Armatanus. **D**upliciter contingit videre, aut cognoscere rem aliquam, primum quasi ipsam intiendo sicuti est; quod est, videre per suam essentiam: deinde per effigiem aliquam, & similitudinem sui sicut amicum absentem in imagine ipsius, & Deum in effectis eius quodammodo cognoscimus, in vno quidem perfectius, quam in alio. Fuit ergo error Armenorum apud Armatanum lib. 14. quaestio- num contra illos, c. 1. & recentiorum Græcorum, ut narrat idem auctor, asserentium, Deum nec à Beatis secundum essentiam suam clare videri, nec posse: sed tantum per quandam illius similitudi- nem, aut lucem ab eo derivatam. Eundem erro- rem illis adscribunt Alphonsus de castro contra hæreses ver- bo Beatitude hæresi 1. & Gabriel, prætorius in suo Elencho, verbo Armeni: Tameñ Nicophorus lib. 18. c. 53. eorum recensens errores, inter illos hunc non connume- rat. Putat vero Sanders lib. 7. de visibili monarchia hæ- resi 118. solum fuisse errorem Armenorum, quod dicerent, ante diem iudicii Deum à Beatis non vi- deri: sed nescio, unde hoc ipse colligat. Nam quamvis dicat Alphonsus hæresi 6. id Armenos docuisse, tamen hunc errorem non ita illis tribuit, ut dicat, ex eorum sententia post diem iudicii Deum videri. Standum ergo puto Armatano, qui optime nouerat eorum errores.

Abailard. Eundem errorem adscribit Alphonsus hæresi illa 1. Abailardo, & colligit ex Bern. epist. 190. Abailardum vero secutus est Arnaldus Brixiensis, ut idem Alphonsus testatur. Verum nec in ea episto- la, nec alibi in Bern. tale quid inuenire potui: quin- imo cum in ep. 19. refert capita errorum Abailardi, inter ea hunc non recenset. De Arnaldo autè du- bium non est, in ea fuisse sententiam, si eam docuit Abailardus: nam teste Bern. in ep. 190 hic secutus fuit tanquam magistrum Abailardum. Demum, ut scribit idem Alphonsus, eandem sententiam docuit Americus tempore Innocentii 3. quo etiam Ab- bigenes in Gallijs dogmatizare cæperunt.

Vasq. in 1. partem Tomus 2.

CAPVT II.

Chrysostomum non satis sincere videri locutum de clara Dei visione.

Chrysost. **C**eterum, quod caput est, non longe ab hac sententia fuisse videntur nonnulli ex grauioribus Ecclesiæ Patribus. Inprimis Chrysostomus, ut declinaret extremum errorem Anomæorum, qui dicebant, propria virtute Deum ab ipsis con- prehendi; homil. 14. in Ioannem ante medium, tractans illud Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam, inquit in hæc verba: Nam id quod Deus est non modo propheta non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli; sed seors percontaberis, nihil ab his de Dei substantia audies, sed tantum referentes, Gloria in excelsis Deo. Et infra non solum dicit, esse impossibile Deum videri; sed ostendens, quid Filius enarrauit nobis, ait: Quod Deum videre est impossibile, quia eum nemo nouit, nisi Fi- lius. Imo addit, Deum ante incarnationem fuisse Angelis inuisibilem, per carnem autem assump- tam factum esse visibilem: & cum obiecit il- lud Matth. 18. Angeli eorum semper vident faciem Pa- tris, respondet, eandem esse sententiam cum illa Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vide- bunt: Cogitationem enim atque imaginationem (inquit) quam pro viribus nostris, capimus eam visionem appellat. Id vero multo clarius alluebat in tom. 5. homil. 3. & 4. de incomprehensibili natura Dei, cuius verba paulo post referemus ne ea replicare necesse sit. Chrysost. secuti sunt Euthymius, & Theophyl. in illud Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam, Theod. in dialogo, cui titulus est. Immutabilis post fol. 3. & alij Patres, quos inferius commemorabimus.

CAPVT III.

Quomodo quidam Chrysostomum excusare contendunt.

S. Thomas. **V**erum S. Thomas in hoc art. ad 1. & alij eius expolitores, & in 4. d. 49. q. 2. ad 1. Dis- put. 182. defendere conantur Chrysost. atque ea- dem ratione & ipse Sixtus reliquos omnes Pa- tres, qui ipsum secuti, aut idem cum eo docuisse videntur, in bonum sensum nititur interpretari. Dicunt ergo trifariam explicari posse: primo ut lo- quantur de visione non intellectu, sed corpo- rea, sicut de Hieronymo refert Augustinus in epist. 111. circa medium dixisse, Deum esse inuisibilem a pe- cibus corporalibus, etiam Angelorum: sic autem, ut Augustinus ibidem demonstrat, Deus est om- nino inuisibilis.

Huic tamen interpretationi primum obstat, quod ex sententia Chrysostomi, & Theodoret, quos reliqui tanquam magistros secuti sunt; An- geli non sunt corporati, sed incorporei, ut disput. 178. referemus: ergo non loquuntur de visione corporea, cum dicunt, nec ab Angelis Deum posse videri; nam cum in eorum sententia Angeli sint incorporei, visione corporea præditi non sunt. Tum etiam licet Chrysostomus, & alij asse- rent, Angelos esse corporatos, oculis etiam cor- poreis præditos, de visione corporea explicari non possent: cum enim de Angelis dicat Chrysost. eos percontaberis, nihil ab eis de Dei substantia audies; fit, ut etiam de intellectus visione loquatur: nam, ut Angeli nobis aliquid de Dei substantia referrent, fortis, imo multo melius esset, si Deum oculis mentis, & intellectus intuitu essent, etiãsi corporeis oculis

R. 2. non